



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Visitatio B. Mariæ V. 2. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

sed steterunt cadentibus aliis. Pueros alio tempore quam plurimos perbenignè salutans in ludo supplicavit pro his Magistro, ne cæderentur, quod longum illis iter instaret. Et hoc eis nimirū mors indixit paulò post per urbem grassata. SIMEONIS quoque funus cum pauculi homines curarent, adfuere Angeli, & lessum an epinicum? cantarunt totius Orbis Mimo. Sur.

Per Christum sensibus innovatus abjectâ seculâ hujus figurâ, formam tuam in formam tui reduc Salvatoris, ut novitas sensuum tuorum in tuis actibus elucescat, & caelestis homo caelesti habitu jam gradiatur in terrâ. S. Pet. Chrysol. serm. 120.

VISITATIO B. MARIAE V. 2.Iulii.

REDIBAT in astra Numinis ad MARIAM legatus, quem venturum terris nuntiaverat, cælo venisse nuntiaturus. At VIRGO Deo jam plena viendi ad cognatam Elisabetham studio in viam se dedit. Hanc monstravit, qui sub utero ivit comes, ingens MATRI, sed dulcis sarcina. Hic viæ laborem temperabat, hic properantibus pedibus alas addebat, ut expeditior nunquam iverit MARIA, quam sic onerata. Jam sub aspectum muruum venerant geminæ cognatæ, jam in amoris vincula brachia coiverant, cum gaudio gestiens in Elisabetha infans VERBUM in utero latens ex utero prodidit, jam tum vox clamantis. Tunc novo prodigo virginitas sterilitati, & sterilitas virginitati fœcunditatem est gratulata: tunc, quas texere Angelus cœperat MARIA laudes, pertexere Elisabetha, Domini Matrem salutare, quæ Ancilla venerat, super omnes illam mulieres efferre, ipsum cum primis laudibus in cælum tam sancti uteri hospitem

spirem tollere. Itaque oraculis domus personare,
VIRGO lætitia etiam ipsa exultans , quo DEVM
magnificaret, carmen canere, cui omnem palmam
vates concedent. Certè ut Superi delicati sint
(quippe dulci semper Musicæ affueti) tunc tamen
terræ cantus probarunt : nec hodie puto facilius
aures Marianis præbent, quām MARIAM MARIAE
verbis laudantibus, tunc præsertim, si vox Virgo
accedat, quam dicere ausim tam libenter audiunt
Angeli, quām nos Angelorum audimus. Ex Hist.
Evang.

*Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Domi-
num ; sit in singulis spiritus Mariæ, ut exultet in Deo :
Nam et si secundum carnem una mater est Christi, se-
cundum fidem tamen omnium fructus est Christus. S.
Amb. l.2. Com. in Luc.*

S. OTHO EP. POMERAN. APOST.

2.Iulii.

OTHONEM Pont. Bambergæ Suevia donavit.
Præter Xenodochia, structaque vel reparata
templa quām plurima, monasteria exædificavit
XXI. Hominum DEO sacratorum aspectu præci-
puè delectatus gaudebat his sive sacrificaturis,
sive ad mensam accubitus ministrare & fercula
osculo condire. In Pomeraniam cùm movisset su-
perstitionē expugnaturus, multæ illi pugnæ fuere,
sed victor etiam, cùm vapularet, abivit. Tandem
manus dedit Regio, postquām Pont. verbis blan-
dis & munusculis captos duos adolescentulos, illi
alios, hi alii iterum alios & parentes deniq; ipsos
ad sacra nostra induxerunt. Ita post OTHONEM
Apostolos Pomerania pueros habuit , quos , ubi
sacro fonte iustrati sunt , à profanorum societate

remo-